



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

**Foullon, Jean E.**

**Leodii, 1657**

V. Necessitas ejus status.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

æ arti & magnificentiæ. Statuarius sculptor, si rectum & innode lignum habet, quamlibet illi figuram facile daturus est; secus si nodosum & curvum. Ita si pectus humanum privatis cupiditatibus non arctetur, si nodosis desideriis non obdurescat, gratiæque architectanti & sculptenti non resistat, existet insigne domicilium virtutum, & perfecta divinæ sanctimoniam imago.

V. *Necessitas  
ejus status.* Peremptoria ratio, cur eò indifferentiam venire debeamus, est necessitas eligendæ ad salutem viæ & adminiculorum. Ignorantes autem sumus rerum ipsi nostrarum, nec satis dispicimus, quid in præsens futurumve, nobis expediat. Itaque si desideria nostra sequamur, cæcum sequemur: *cæcus autem, si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Hinc illud celebre Matth. cap. 20. dictum à Christo filiis Zebedæi, plerumque filiis hominum multa concupiscentibus, vana molientibus, aptari potest: *Nescitis, quid petatis.* B. Franciscus Borgia, ægrotante Leonorâ lectissimâ

mâ fæminâ, conjuge suâ, quicum annos totos octodecim in summa conjunctione vixerat, ad precandum Deum conversus, toto animo sanitatem ipsius postulabat. Cùm ecce visus sibi audire intus dicentem Deum: si quidem velle pergis, ut uxor convalescat, mox fecero, sed tibi non expedit. Ad eam cogitationem, represso statim desiderio uxoris conservandæ, totum se divinæ voluntati, repetitis iterum atque iterum resignationis actibus, permisit, his ferè verbis: *Quis enim rectius novit, quid è re mea sit, quam tu mi Deus? Tua itaque voluntas fiat.* Ait vitæ scriptor, notatum, ab ea resignatione ægram sensum ad extrema delapsam, & paullò post mortuam, marito libertatem amplectendæ perfectioris vitæ reliquisse: cùm antè, sanitatem ejus petente Borgia, morbus dubio exitu pendèret.

VI.  
*Exercitium.*

O quot modò reperiantur, quibus inter vota sua & desideria diciqueat: *Tibi non expedit?* Dignitates exoptas, favores ambis, tibi non expedit. Divitiarum avidus es, possessio-

ne